

PRAEFATIO.

Cum ad libellum hunc scribendum adiiceremus animum, non parum suspicabamur, fore, ut consilium nostrum in multas multorum reprehensiones incurreret. Quibusdam enim, sciebamus, plane ingloriam operam maleque consumptam videri, quae libellis scribendis impendatur iis, qui in disciplinae cuiusuis elementis ac praeceptis tironum imbecillitati tradendis versentur. Alios, non deesse in hoc genere libellos, intelligebamus dicturos, qui ad instituendam iuuentutem adhiberi possint, neque hoc nostro opus fuisse. Videbamus etiam futuros, qui eum vernaculo potius, quam latino sermone, scriptum vellent: hos autem, quibus omnino displiceant, aut contemptu digna videantur, quae hoc libello tradantur, plane superuacaneos labores nostros inutilesque iudicatos esse.

Iam, cum non ita simus vani, popularisque amatores aurae, ut, quid de nobis et laboribus nostris quisque iudicet, qui censoris personam sibi auctoritatemque sumsit, magno opere laboremus: nihil omnino ad reprimendas eas reprehensiones attulissimus, nisi instituti operis ratio esset eiusmodi, cuius expositione, quicquid harum reprehensionum est, confici profligarique posset.

a §

Duode-